

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1375

**Auteur(s) :** Jean, Préaux (seigneur)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1193-1208]

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Charte de Jean, seigneur de Preaux, dans laquelle, sur quelques prétentions qu'il avait, et les villages riverains de la Verte-Forest, sur ladite forest ils prirent des arbitres, qui les deboutèrent de leurs injustes usurpations.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Pommeraye Jean-François, *Histoire de l'abbaye royale de Saint-Ouen de Rouen*, Rouen, Lallemand, 1662, p. 434-435.

## Dissertation critique

La datation est fixée par l'abbatit de Geoffroy, vers 1193 - 1208.

Texte établi d'après a

Universis sanctæ matris ecclesiæ filiis ad quos præsens scriptum pervenerit ego Ioannes de Pratellis, salutem. Noverit universalitas vestra, quod cum inter me et homines meos ex una parte, et abbatem et monachos S. Audoeni ex altera super quadam pastura quam ego et homines mei de Pubeuf et de Pommereia, et de Pratellis, et de veteri rua, et de aliis villis meis in foresta sancti Audoeni de jure nostro esse dicebamus, longo tempore controversia versata fuisset. Ego et Gaufridus abbas sancti Audoeni pari voto parique consensu, tam hominum meorum quam monachorum quærimoniam illam terminare volentes compromisimus in legitimos milites de vicinia et de provincia tactisque sacrosanctis Evangeliis ego et dictus abbas Gaufridus, ego videlicet et homines mei manu propria et abbas per vicarias manus juravimus quod quicquid legitimi milites nominatim expressi Vvalterus videlicet de Vvarnevilla, Iohannes de Vivario, Vvuellelmus de Vivario, Gaufridus de Masnillo, Petrus de Ikebo, Antelmus d'Anebout, Vuillelmus de Haiis, Richardus de Haiis, Vvalterus de Tendos, Rogerus de Carreio, Richardus de Freulevilla, prius præstito super sacrosancta Evangelia juramento. De jure utriusque partis cognoscent, ratum haberemus et firmum. Convenientes ergo ego et homines mei, et dictus abbas sancti Audoeni apud monasterium de Isnevilla supradictos milites convocavimus ; qui tactis sacrosanctis Evangeliis juraverunt quod veritatem dicerent, si ego et homines mei de prædictis villis, pasturam aliquam, vel consuetudinem qualemcumque in foresta sancti Audoeni, vel in pertinentiis de jure hæreditario haberemus. Iurati vero dicti milites confessi sunt et dixerunt, neque me neque homines meos in foresta sancti Audoeni, vel in terris ad forestam pertinentibus consuetudinem vel pasturam aliquam habere, nisi de voluntate abbatis et monachorum, et quamdiu abbas et monachi nobis concesserint et permiserint. Et ne huiusmodi injusta calumnia quam adversus ecclesiam sancti Audoeni injuste longo tempore feceramus, aliqua posterum malignitate de cætero valeat suboriri, sed in posterum sopita maneat

et sepulta, recognitionem factam præsentis cartæ testimonio confirmare, et sigilli mei patrocinio dignum duxi roborare.

Testibus his priore sancti Laudi. Ricardo Malaunay canonico sancti Laudi. Magistro Roberto de sancto Paterno archidiacono Rothomagensi. Ricardo Capellano.